

Liber I.

5

24. *In vulgatam Malachiae prophetiam de Romanis Pontificibus. *)*

Omnino facile est Aquilam reperire rapacem.
Cur sedes Petri tam vacat ergo diu ?

25. *Electus novus Pontifex 14. Martii 1800.*

Papa Pius rursus nobis est. Septimus ergo ?
Semper post sextum septimus esse solet.

26. *Papa Pius VII. ex ordine S. Benedicti:
Aquila rapax.*

Est Benedictinus monachus Papa! Esse rapacem
Noveris hunc aquilam, quem niger ordo dedit.
Quid rapiet, terram cum jam raptam esse sciamus ?
Coelorum regnum, **) quod superesse videt.
Alta petens, Patrem Benedictum, Aquilamque
sequetur.

Hac ratione rapax et pius esse potest.

27. *In discessum CAROLI Archiducis ab exercitu
mense Martio 1800.*

Discessum CAROLI tota heu! Germania luget.
Vicit victores, seque suosque duces.

*) *Sub nomine Malachiae Episcopi circumfertur prophetia, per quam successio Romanorum Pontificum symbolis aenigmaticis praedicitur. Secundum hanc prophetiam Pius VI. dicitur PEREGRINUS APOSTOLICUS; et ejus successor sub simbolo AQUILAE RAPACIS designatur.*

**) *Violenti rapiunt illud. Matth. II, 12.*